

57
SIGNA DIAGNOSTICA. Ad venenum hoc cognoscendum antequam symptomata inferat, multum faciunt signa, quibus canis rabidus deprehendi potest. Graciles sunt canes rabidi ob cibi & potus aversionem, oculis prominentibus rubent, tristes, auribus caudâque demissis, stupido capite incedunt, sæpè ocyus & velocius currunt, ex improvviso consistunt, nonnunquam in medio cursu in obstacula & impedimenta impingunt, obvium quemque notum sive ignotum sine latratu invadunt, vocem aut nullam aut paucam & raucam edunt, spuma ex ore & naribus defluit, lingua exerta nigra, vel crocea & quasi bile colorata cernitur: reliqui canes ejus sodalities non gaudent: si hujusmodi canis morfu vulnus inflixerit, subito inquirenda sunt remedia. Quod si canis conditiones non fuerint cognitæ, veneni præsentiam hoc pacto expiscari & investigare licebit. Imponitur vulnere cataplasmatibus instar, vel mica panis masti-
cata, vel triticeum contusum, vel nuges juglandes contritæ pro quantitate vulneris, si magnum, per aliquot horas, si parvum, per diem relinquitur, postmodum gallinis vel pullis gallinaceis comedenda projiciuntur, quod si morsui virus insit, gallinæ emoriuntur, si minus sine noxâ evadunt; Experimenti hujus autor putatur *Oribasius*, referente *Paulo*.

Rarissimè venenum hoc antè vigesimum diem, frequentissimè quadragesimo post communicationem demorsus percipit: neque enim statim & definito post morsum tempore hydrophobia exoritur, verùm post sextum, duodecimum, decimum octavum annum demorsos in rabiem actos fuisse, literis produnt complures authores, quos inter non ultimas tenet *Gvainerius de ven. c. 12*. Et *Alzaharivius* testatur, se expertum venenum hoc per quadraginta annos in corporibus delituisse, referente hoc *Cl. Sennerto lib. 1. Pract. part. 2. c. 15*.

Ratio verò diversitatis, quòd nimirum actio hujus veneni vel tardius vel citius absolvitur, consistit vel ex violentia seu imbecillitate agentis; vel à fortitudine seu debilitate patientis. In illis etiam, in quibus hujus veneni vis in-
mul-